

etavisse, tradit Agathias libro 1 belli Gothici. Infimam fluctus marini adluebant: superiora muris, turribus, aliisque molibus adeo erant circumvallata & munita, ut locus expugnatus esset difficillimus. Nunc omnia fere conciderunt, oppletaque jacent ruinis, ut tamen undique amplissimorum operum vestigia satis agnoscantur. Erat in vertice rupis urbe media celeberrimum Apollinis templum, de quo Virgilius libro v Æneidos:

Apollinis
templum.

*At pius Æneas arces, quibus altus Apollo
Præsidet, horrendæque procul secreta Sibyllæ
Antrum immane petit.*

Quos versus exponens Servius, in arce munitissima Cumis ædem Apollinis fuisse scribit. *Cumorum* mentionem facit non raro Dionysius Halicarnassæus, nominatim lib. vii antiq. Roman. ubi multa de *Aristodemo Malaco*, *Cumanorum* duce, rebusque ab *Cumanis* gestis. L. Tarquinius Superbum ad eundem Aristodemum, *Cumanorum* principem confugisse: Romanos urbem *Cumas* ab Græcis habitata expugnasse: item *Cumanos* atque *Sinuësanos* eadem lege, qua *Capuam* haberi, Senatam censuisse: *Cumanorum* item fidem erga populum Romanum refert Livius. Tradit etiam Strabo *Cumanos* in potestatem olim ab Campanis fuisse redactos. *Cuma* vetus aliquando municipium, aliquando præfecturæ fuit, postea colonia eò ab Augusto fuit deducta.

Ab Cumis dein ad Avernum usque lacum nihil invenitur scitu dignum præter *Sibyllæ* (quæ ab Cumis, Patria, *Cumæa*, omnibus decantata) *cavernam*. Eam ita describit in Mercurio suo Italico I. Henrici à Pflaumen I C. Adjacet lacui antrum *Sibyllæ*, quod vocant: cuniculus haud dubie ab humana manu effossus productusque ad amussim longissime: quo pertigerit vero, videre non potuimus, impervium namque ruinæ fecerunt. Forsan ille est, quem Coccejus ab Averno *Cumas* usque perduxisse scribitur; aut *Neronis* forsitan opus est, de quo cum Suetonio Plinioque Tacitus: *Nero*, inquit, *ut erat incredibilium cupitor*, fossæ scilicet ab hoc lacu usque ad ostia *Tiberina* navigabilis ducendæ, effodere proxima *Averno* juga connexus est, manentque vestigia *irrita spei*. Manent profecto admiranda, si cuniculum *Nero* effodit: si aliud aliquid circa *Avernum* molitus fuit, nulla manent. At inquis, idem à *Miseno* ad *Avernum* usque piscinam inchoavit porticibus conclusam. Scio equidem id eum opus coepisse, testis est enim Suetonius in vita ejus: & quando ita vis, sit etiam testis hic cuniculus, sit vestigium piscinæ ejus, quando quid proprie fuerit, non constat. Neque est, quod vulgi fabellis movear, aut rancidorum quorundam vatum figmentis, qui *Christum* è triumphata *Styge* revertentem, comitantibus SS. patribus, per hunc cuniculum exscendisse in nostrum orbem cecinerunt: olet quippe narratio ista veterum poetarum commenta, qui apud *Avernum*

Italia.

inferorum fauces esse, & noctes atque dies atri Ditis patere januam finxerunt; quibus fabulis divinas historias temerari non decet. Dubium porro est, cui usui fuerit camera illa, quæ in intimis montis ejusdem visceribus excisa vermiculato opere & caruleo colore picturata conspicitur. *Sibyllæ* ad signo cum vulgo: nec vero ut vulgus, quod habitasse vaticinam inibi fabulatur. ego lavisse potius arbitrer, minime enim habitationi aptus locus est; & monstrant auctores aliam sedem, quam ea tenuerit: sub *Cumis* scilicet orientem versus, quam *Iustinus Martyr* refert ingentem & saxeam specum esse (rem sane maximam & dignissimam admiratione appellat) inque ejus medio monstrata sibi terna folia fuisse ex lapide eodem exsculpta, in quibus aqua refertis recubuisse *Sibyllam* dixerint: intima autem in caverna gradus & thronum excelsiorem, è quo responsa jactarit. *Agathias* oppugnatas à *Narsete* *Cumas* (quod vocat *perquam exiguum oppidum*) describens, de *Sibyllæ* istoc domicilio memorat quæ sequuntur: *Antrum quoddam oppido subest ad orientalem collis flexum, omni ex parte tectum, valdeque cavum, eadeo ut adyta quædam nativa habeat, & sinum ingentem profundumque instar barathri. In hoc antro ferunt habitasse magnam illam Italicam Sibyllam, quæ Apollinis numine correpta consulentibus futura prædixit. Habuit ergo sedes suas & vaticinata est Sibylla in Cumæo hoc, & non illo juxta *Avernum* antro, quod *Sibyllæ* jam dudum vulgus cognominat, incertum qua de causa: nam & quod *Sibyllam* in eo lavisse opinatus sum, *Iustini* verba præscripto loco arguunt, qui scriptor in eadem subter *Cumas* specu habitasse eam & in lavacri usum terna ex eodem saxo sculpta folia habuisse testis est. Potius ergo est, ut censeam in *Sibyllæ* illo antro apud *Avernum* egisse & consulentibus futuros eventus prænucciasse homines quosdam, quorum nomen postea interierit, manseritque ex memoria rei unicum *Sibyllæ*, præcunctis celebratissimæ in hac regione vatis. Suggestit hanc conjecturam *Maximus Tyrius*, qui ita: *Erat in Italia Magna Græcia, non procul à lacu Averno, antrum fatidicum, cui homines præerant, qui ab animarum evocatione, quæ illic fiebat, nomen habebant. Huc qui consulendi oraculi causa venisset, precibus conceptis, casta victima libaminibusque rite effusis, cujuscunque vellet, sive parentum, sive amicorum umbram ciebat. quo facto prodibat tenuis anima, nec visu facilis nec cognita; quæ tamen & voce prædita esset & vaticinandi perita. postquam autem responsa de iis, quæ quærebantur, reddidisset, disperebat. Hoc oraculum novisse mihi videtur *Homerus*, suumque eò deduxisse *Vlysses*. Homines isti fatidici, antri hujus & similibus incolæ, *Cimmerii* olim vocati: hos enim scripsit *Euphorus* apud *Strabonem* in subterraneis ædificiis hanc regionem incoluisse, ac per cuniculos quosdam inter se commeasse, hospitesque eadem via ad oraculum deduxisse, alte infra terram abdi-**

H h h h 2

tum;

Sibyllæ ca-
verna.